

Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 27

In Dei nomine. Karolus, pro Dei intuitu vel aeterna retributione et pro animae meae remedio vel abluendis peccatis meis dono ad aecclesias sancti Petri et sancti Pauli cum sociis eorum villa que vocatur Bollunvilla sive Bollunthorp, quantumcumque mihi ibidem obvenit de genitore meo Pippino, quod contra allodiones meos recepi. Totum ad integrum dono atque trado [hoc est tam] terris, silvis, campis, pratis, mancipiis, ecclesiis, aquis aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, totum ad integrum, quantumcumque mihi ibidem obvenit, in ea ratione ut ab hac die ipsa aecclesia habeat, teneat, possideat, vel quicquid inde facere voluerit, liberam et firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et si ego ipse aut ullus de heredibus vel proheredibus meis, vel quelibet opposita persona, que contra hanc donationem vel testamentum quod ego spontanea voluntate fieri rogavi venire temptaverit vel emutare voluerit, inprimitus iram Dei incurrat et apostolorum, a sancto Petro et sancto Paulo excommunis fiat et sociis eorum et insuper inferat illis ecclesiis [cum socio] fisco auri libram Io, argenti pondo duo coactus exsolvat, et quod repetit non evindicet, sed presens donatio omni tempore firma et inviolata permaneat stipulatione subnixa. Actum publice in villa que vocatur Fidiacus sub die mensis Februarii XXIII [anno primo regni domni nostri Clotarii regis].